

Aliud iuramentum esset innovandum seu confirmandum, tunc immediate innovabit. Deinde recipietur ad Canonicum Ecclesie S. Petri, ut superius dictum est. Intrabit deinde Ecclesiam, & ibi ante portam argenteam Episcopus Cardinalis dicet super eum primam orationem. Deinde ducitur ad capellam S. Gregorii ad capienda sua ornamenta, & Episcopus Cardinalis vadit ad altare maius, & ibi super faldisterium capit sandalia, & paramenta omnia Pontificalia. Et nota quod debet habere expresse facultatem à Pontifice super altare B. Petri celebrandi, ut moris est. Cæsar indutus imperialibus indumentis venit ad medium Ecclesie, & ibi super eum legatus Apostolicus dicet secundam orationem. Veniet deinde ad confessionem B. Petri, & procumbet in faldisterio: & Diaconus qui servit in Missa facit super eum Litaniam, orationem autem cum versiculis & Pater Noster dicet legatus Apostolicus. Deinde ducetur ad altare S. Mauricii, & ibi inungetur à Cardinali celebrante, tam ipse quàm Augusta, si adest, cum orationibus oportunis. Revertentur deinde ad altare, ut facta confessione Imperator ad suggestum sine osculo pacis, ad faldisterium suum revertitur. Et proceditur in missa usque ad graduale. Dum cantatur graduale, Imperator descendit ad altare, & celebrans Cardinalis ante altare stans cum mitra, gladium sumit de altari, & illum nudum Imperatori tradit, dicens: *Accipe gladium &c.* Et idem dicit Legatus, submissa tamen voce: De eadem mox pomum & sceptrum cum sua oratione Ecclesie modo. Mitras autem & coronas imperiales ambo imponent Cæsari & Augustæ. Sed legatus alta voce profert verba: *Accipe signum &c.* Et celebrans dicit eadem voce submissa.

Coronati Augustus & Augusta revertuntur ad suos suggestus sine osculo pacis: & ad offertorium veniunt cum coronis & habitu Imperiali. Et oblato auro revertuntur ad suggestus, neque ministrabit Imperator calicem & ampullam, sed tempore congruo veniet ad communionem sine manto & coronis. Post communionem Imperatori non dabitur osculum pacis à celebrante, sed revertetur ad suum suggestum.

Imperator finita missa ipse cum suis & cum Legato si placebit, ibit Lateranum, & ibi perficiet suas solennitates. Ceremonie omnes, quæ pertinent ad personam Pontificis, dimittantur, ut oscula pedum, manuum, & oris. Quia etiam nec in missa illi deserviet Imperator, quod Pontifici præstitisset præsentis: nec stapham illi, dum equum inscendit, tenet, nec equum ducit.

Hæc ferè omnia servata fuerunt, cum Carolus IIII. coronatus fuit Romæ per Dominum Petrum Episcopum Hostiensem, quem ex Avione Innocentius VI. nuncium Apostolicum ad hoc miserat, & per Dom. Ægidium de Albornoio Tit. S. Clementis Presbyterum Cardinalem ac Legatum Apostolicum in Italia, Anno Salutis M. CCC. LVI. sexto nonas Aprilis: ut ex literis ipsius Karoli, quæ adhuc extant, & registratæ sunt in archivis Ecclesie, publicè patet. Voluit tamen idem Pontifex, quod Cardinales prædicti publicè protestarentur Domino Imperatori, quod propter omissionem reverentiarum, obsequiorum, & multarum ceremoniarum, quæ pertinent ad personam Romani Pontificis, non esset aliquo modo derogatum privilegiis & honorificentis Romanæ sedis & suorum successorum: & de hac protestatione & consensu Imperatoris exigerent quadruplices literas regalibus & Imperatoriis sigillis munitas, sicut & factum est.

Nn